

FRAGMENTUM. (C)*

Unius semper horae dodrante et semiuncia transmissa, id est, divisio unius horae spatio in viginti quatuor semiuncias, quia tot sunt semiunciae in libra plena: iterumque divide viginti quatuor in quatuor, hoc est, quater sex, et ter VI, dodrans dicitur, semel vero quadrans, et hoc est quod ait unius horae dodrante, id est, tribus partibus X et octo semiunciis. Quod vero et semiuncia sex reliquarum semiunciarum, ad quadrantem pertinentium unam voluit adjungi dodranti, ut essent XIX semiunciae, quo aestus Oceani quotidie tardius veniret, tardiusque recederet.

DE ORDINATIONE FERIARUM PASCHALIIUM PER THEOPHILUM EPISCOPUM CAESARIENSEM AC RELIQUORUM EPISCOPORUM SYNODUM. (C)*

Post resurrectionem vel ascensionem Domini Salvatoris, apostoli quomodo Pascha deberent observare nihil ordinare potuerunt, quia dispersi erant per universum mundum, et ad praedicandum occupati. Sed quacunque die decima quarta luna mense Martio fuisset, Pascha celebrabant. Post transitum ergo de hoc mundo omnium apostolorum, per singulas provincias diversa tenebant jejunia. Nam Galli quacunque die octavo Kalendarum Aprilium fuisset, quando Christi

resurrectio tradebatur, semper Pascha celebrabant: in Italia vero alii XX dies jejunabant, alii septem. Orientales vero sicut apostolos viderunt, ut supradictum est, decima quarta luna, mense Martis Pascha tenebant. Cum ergo hae tales observationes per singulas provincias tenerentur, unde moeror erat sacerdotibus, eo quod a quibus una fides recte tenebatur, eorum dissentirent jejunia. Tunc papa Victor Romanaeque urbis episcopus direxit auctoritatem ad Theophilum Caesariensis Palaestinaeque antistitem, ut quomodo Pascha recto jure a cunctis Catholicis celebraretur Ecclesiis, inibi fieret ordinatio, ubi Dominus et Salvator mundi fuerat in carne versatus. Percepta itaque auctoritate praedictus episcopus non solum de sua provincia, sed etiam de diversis regionibus omnes episcopos evocavit. Ubi cum illa multitudo sacerdotum convenit, tunc Theophilus episcopus protulit auctoritatem ad se missam Victoris papae, et quid sibi operis fuisset injunctum ostendit. Tunc pariter omnes dixerunt episcopi, nisi prius quomodo mundus fuerit a principio investigatus, nihil potest de observantia Paschae salubriter ordinari. Dixerunt ergo episcopi: Quem credimus factum fuisse in mundo primum, nisi Dominicum diem? Theophilus episcopus dixit: Probate quod dicitis. Responderunt episcopi: Secundum Scripturae auctoritatem factum est vespere et mane dies primus.

Deinde secundus, tertius, quartus, quintus, sextus, septimus. In quo septimo requievit Deus ab omnibus operibus suis, quem diem sabbatum appellavit. Ergo cum novissimum diem signet sabbatum, quis potest esse primus, nisi Dominicus dies? Theophilus episcopus dixit: Ecce de die Dominico, quia primus sit probastis, de tempore enim quid dicitis? Quatuor

enim mundi tempora accipiuntur: ver, aestas, autumnus, hiems. Quod ergo tempus primum factum in mundo? Episcopi responderunt, vernum. Theophilus episcopus dixit, Probate quod dicitis. Et illi responderunt: Scriptum est: Germinet terra feni herbam secundum genus suum, et lignum fructiferum, ferens fructum suum. Haec autem temporibus veris accipitur. Theophilus episcopus dixit: In quo loco caput mundi esse creditis? In principio temporis, an in medio tempore, aut in fine? Episcopi responderunt: In aequinoctio octavo Kalendarum Aprilium. Theophilus episcopus dixit, Probate quod dicitis. Et illi responderunt: Scriptum est, quia fecit Deus lucem, et vocavit Deus lucem diem, et fecit Deus tenebras, et vocavit tenebras noctem, et divisit inter lucem et tenebras aequas partes. Theophilus dixit: Ecce de die vel tempore probastis, de luna quid vobis videtur? Utrum crescentem ac jam plenam an imminutam a Deo fuisse consecratam? Episcopi responderunt, plenam. Et ille: Probate quod dicitis. Responderunt: Et fecit duo luminaria magna, et posuit ea in firmamento coeli, ut luceant super terram. Luminare majus in inchoationem diei, luminare minus in inchoationem noctis, non poterat aliter nisi esset plena. Nunc ergo investigavimus quomodo in principio factus fuerit mundus, id est, die Dominico. Verno tempore in aequinoctio, quod est octavo Kalendarum Aprilium, luna plena per ipsum tantummodo tempus et elementa resurgunt. Theophilus dixit: Nunc igitur agendum est de ordinatione, quomodo debeamus Pascha tenere. Episcopi dixerunt: Nunquid potest dies dominicus praeteriri, ut in eo Pascha minime celebretur, qui tot et talibus benedictionibus sanctificatus est? Theophilus dixit: Dicite ergo quibus et qualibus benedictionibus eum esse sanctificatum asseritis, ut

scribere possimus. Episcopi dixerunt, Prima illi benedictio est quia in ipso tenebrae sunt remotae, et lux apparuit. Secunda est illi benedictio, quod de terra Aegypti velut de tenebris peccatorum, quasi per fontem baptismi, per mare Rubrum populus fuisset liberatus. Tertia illi benedictio est, quia in eodem die coelestis cibus manna hominibus datus est. Quarta illi benedictio est, qua Moyses mandat ad populum: Sit vobis observatus dies primus et novissimus. Quinta illi benedictio est, ut in CXVII psalmo dicit: Circumdederunt me sicut apes, et exarserunt sicut ignis in spinis. De resurrectione autem Domini dicit: Haec est dies quam fecit Dominus, exsultemus et laetemur in ea, usque ad cornu altaris. Sexta illi benedictio est, quod in ipsa Dominus resurrexit. Vides ergo quia dies resurrectionis dominicus singulariter in Pascha teneri possit. Theophilus dicit: De tempore autem ad Moysen mandatum est a Deo. Hic mensis erit vobis initium mensium, Pascha facite in eo. Omnes ergo triginta dies a Domino consecrati sunt. Episcopi dixerunt: Jam superius dedimus responsum, principium mundi esse aequinoctium octavo Kalendarum Aprilium. Et ab octavo Kalendar. April. usque in octavum Kalendas Maias, legimus esse consecratos. Theophilus dixit: Ecce impium non est, ut passio dominica, tantum sacramenti mysterium, extra limitem excludatur. Passus namque Dominus ab undecimo Kalendarum Aprilium, qua nocte a Judaeis traditus est, et ab septimo Kalend. resurrexit, quomodo ergo tres dies extra terminum excluduntur? Omnes episcopi dixerunt: Nulla ratione fieri debet, ut tantum sacramentum extra limitem excludatur, sed hi tres dies intra terminum inducantur, et de subter retrahere constitutum est. Ergo in illa synodo ab undecimo Kalendarum Aprilium usque in undecimo Kalendarum Maiarum, Pascha

debent servare, et nec ante nec postea cuicunque constitutum limitem transgredi liceat. Similiter et de luna praeceptum divinum teneatur. Mandatum est per Moysen: Sit vobis observatum a decima quarta luna usque XXI. Has ergo VII lunas similiter in Pascha tenendo constat fuisse, consecrata sunt. Quando ergo fit intra suum limitem ab undecimo Kalendarum Aprilium usque in undecimo Kalendarum Maiarum, dies Dominicus, et luna ex illis octava sanctificata, Pascha nobis visum est celebrare. Omnis paschalis luna cujuscunque aetatis est, si detrahis ab ea septem, fiet tibi aetas lunae, quae fit in initio quadragesimae. Verbi gratia: Si decima quinta luna est paschalis, tolle de quindecim duodecim, et remanent centum et undecim. Tertia est luna in initio quadragesimae eo anno quo decima quinta luna est die Dominico paschae, et caetera similiter. Memento quod anno bissextili luna Februarii mensis triginta dies, et tamen luna Martii mensis triginta dies habeat, sicut semper habet, ne paschalis lunae ratio vacillet

DE TONITRUIS LIBELLUS AD HEREFRIDUM.

Litteras dilectionis vestrae desideratas (venerande Pater Herefride) accepi, quibus me valde laboriosum atque periculosum opusculum, certe obtrectatorum invidorumque latratibus atque blasphemiiis patens, qui me fortasse diabolico

(quod absit) spiritu, aut iniqua magicae excogitatione artis afflatum, et non sancti Spiritus gratia illuminatum, aut rhetorico spiritu imbutum, haec fecisse et excogitasse asserant, nova videlicet praesagia rerum, quasi ore prophetico praedicere subire jussisti. Obsecrantes, scilicet, firmiterque saepissime praecipientes, ut de sermone aliquid utrobique deesse constat, quid mystice tonitrua praesignant, juxta ingenioli mei igniculum, in Latinum vertere sermonem. Vestris autem praeceptis obtemperans, idcirco hoc opusculum perficere maxime studui, ne vestra venerabilis petitio apud me floccipendi ab ullo videretur. Verumtamen subnixis precibus flagito ut contra invidos, qui vel canino dente hoc opusculum corrodere aut subsannare conaturi sunt, vel, quasi latrantes canes, abversum me rabido ore desaevient, quique in eo se doctos esse arbitrantur, si aliis detrahant, orationum vestrarum clipeos opponatis, et anchora sancti sermonis vestri, fideliumque vestrorum, hoc opusculum ex sermone, a fidei vestro in Latinum translatum, omnimodis ab invidorum inimicorumve detractionibus, stabilitum atque illaesum permanere faciatis. Precor etiam vos (pater charissime) ut qui tantum opus me subire fecistis, in sanctarum vestrarum victimis, in conspectu Altissimi, pro me misero peccatore fideliter intercedatis.

I. DE TONITRUIS IN QUATUOR ORBIS PARTES.

Ab Oriente.---Ab orientali igitur plaga si exorta fuerint tonitrua, secundum subtilium philosophorum traditiones, in

anni ipsius circulo, humani sanguinis copiosam effusionem ipsa praesignant tonitrua.

Ab Occidente.---Ab occidentali quoque climate cum surrexerint tonitrua, sapientes secundum nimiam subtilitatem indagantes, rerumque praesagia agiliter investigantes, mortalitatem prolis Adae, pessimamque pestilentiam ipso in anno imminere significare tonitrua dixerunt.

A Meridie.---Meridiana (ut sagacis ingenii philosophi, qui intellectuali consideratione, indagabilique prudentia rerum praesagia notaverunt, aiunt) tonitrua, incolas pelagi magna clade anni illius curriculo esse morituros, praefigurant.

A Septentrione.---Boreae namque, juxta subtilitatem eorum qui investigare rerum causas conati sunt, quando intonant tonitrua, pessimorum peccatorum, paganorum videlicet atque perversorum Christianorum, mortalitatem significant.

II. PRAESAGIA PRO MENSIBUS.

De Januario.---Si in mense Januario (prout agilitas philosophorum reperit) tonitrua percrepant, in anni ipsius ambitu multos homines ac pecora, oves videlicet, esse morituros, sylvarumque ac nemorum sterilitatem vel infructuositatem praefigurant.

De Februario.---In mense Februario si tonitrua fuerint exorta, valde (ut aiunt) auribus audientium nocent, et ad aurem pertinent, qui ipsam perturbant.

De Martio.---Martii quoque mensis tonitrua, juxta sagacis ingenii nobilium philosophorum investigationem, periculosa designant praesagia (sicuti namque dicunt), mortalitatem vel diem tremendi judicii praefigurant.

De Aprili.---Mensis etiam Aprilis tonitrua, seminibus (ut aiunt) ac frugibus in anni ipsius curriculo periculum imminere significant, et inter undas vasti pelagi navigare valde esse periculosum praenotant.

De Maio.---Si autem aliquo in anno tonitrua Maio in mense tonuerint, illi qui rerum praesagia subtiliter notaverunt, ipsa tonitrua pluviam copiosam frugumque ac feni nimiam fertilitatem anno in ipso esse venturam significare dixerunt.

De Junio.---Junio quoque in mense si in curriculo anni illius tonitrua surrexerint (prout philosophi testantur), piscium diversi generis multifariam diversamque multitudinem inter glauciconas undas fluminum anno in ipso venturas esse ipsa tonitrua declarant.

De Julio.---Philosophi etiam qui intellectuali consideratione agilique studio rerum praesagia indagare conati sunt, Julii mensis tonitrua, quocunque in anno, hominibus anni in illius curriculo magnum imminere mortis periculum arboribusque nimiam infructuositatem praesignare dixerunt.

De Augusto.---Repertores quoque, magnarum subtilitatum auctores, egregia prudentia philosophiae considerationis, in rebus pertractandis, in spectaculi latibulis locupletati, mensis Augusti tonitrua in cujuslibet anni ambitu si intonuerint, pelagi pisces per turmas atque generationes suas, nocivumque

serpentini generis exercitum anno in ipso esse fortiter morituros praefigurare dixerunt.

De Septembri.---Si aliquo in anno (prout sagacis ingenii philosophi subtiliter investigaverunt) Septembri in mense tonitrua fuerint exorta, anni in ipsius curriculo copiosam multitudinem laicorum, de hoc saeculo catervatim migraturam esse, ipsa tonitrua mystice designant.

De Octobri.---Auctores, qui mirabili speculatione quid tonitrua temporum significant investigaverunt, asserunt tonitrua mensis Octobris infra anni illius circulum validissimas aeris procellas atque ingentissimos ventos esse venturos significare.

De Novembri.---Novembris quoque tonitrua, in quocunque anno tonuerint, juxta subtilium philosophorum physicam speculationem, in anni ipsius curriculo nimiam omnium infecunditatem sterilitatemque imminere designant.

De Decembri.---Felici etiam artificiosaque consideratione nobilissimi ingenii doctores, in speculo rerum spirituali cernere conati sunt, quia tonitruum mensis Decembris nihil nocivum malumve hominibus seu caeteris animalibus, aut omnibus frugibus praefigurant, sed prospera atque saluberrima ab illis videntur esse.

III. DE SEPTEM FERIIS.

De Dominico die.---Si quolibet in anno, tonitrua in die Dominico tonuerint, prout philosophi, qui rerum praesagia agili consideratione investigaverunt, asserunt, clericorum atque sanctimonialium feminarum ingentem mortalitatem imminere ipsa tonitrua designant.

De Lunae die.---Auctores quoque praeclari ingenii, qui pervigili speculatione, secundum humanae intelligentiae capacitatem, omnia ac praefigurationes rerum his qui eam agnoscere desiderant scripserunt, si aliquo in anno in die Lunae tonitrua fuerint exorta, turmas conjugum esse morituros, frugesque eclipsim passuras esse, ipsa tonitrua praefigurare aiunt.

De Martis die.---Secundum etiam nimiae sagacitatis florulentam scientiam ac philosophicae contemplationis subtilitatem philosophi, qui physica consideratione quasi prophetico ore, quid rerum mystice praesagia significant declarant, inter caetera sic aiunt: Martis in die, in cujuslibet anni circulo, si surrexerint tonitrua, magnificam, copiosissimamque abundantiam frugum terrae superficiei esse venturam, mystice tonitrua significare nemo dubitet.

De Mercurii die.---Solerti cura cognoscendarum rerum amatores sapientiae subducti, de tonitruum diei Mercurii praefigurationibus inter diversas ac varias rerum subtilitates, se ita reperisse testantur: nam (ut dicunt) si forte contigerit ut in die Mercurii se elevent tonitrua, scorta ac meretrices fatuasque feminas per agmina sua catervatim de ergastulo carnis esse migraturas, aut humani sanguinis copiosam effusionem ipsa tonitrua praesignare, nulli est dubitandum.

De Jovis die.---Efficacis prudentissimaeque scientiae mentis suae fibris cati inventores, qui indesinenter sanctae philosophiae praesagia rerum rimare ac perscrutari non cessant de praefigurationibus tonitruum diei Jovis, prudenti investigatione ita asserunt. Testantur namque quod quotiescunque Jupiter suo in die intonat, multiplicem abundantiam frugum terrae esse venturam, uberrimamque incolarum pelagi superbam multitudinem per cunctos alveos ac turmas suas fluminum multipliciter impleturam, ipsa tonitrua praefigurant.

De Veneris die.---Nobilium didascalorum, qui pene a cunabulis inter matris philosophiae ubera sunt lactati atque nutriti, prudentissima contemplatione, acutissima, varioque flore philosophicaeque subtilitatis ornata ingenia, de praesagiis tonitruum die Veneris ita statuunt. Testantur etenim omnimodis Veneris in die tonitrua si contigerint, quia vel regis interfectionem, aut validissimum bellum, multorumque stragem ociter imminere, vel multa pecora moritura esse, ipsa tonitrua praesignant.

De Sabbati die.---Philosophi, qui artificiali scientia rerum naturas atque praesagia intellectuali speculatione subtiliter cernere, juxta sagacissimi eorum ingenii nimiam flagrantiam, conati sunt, de Saturni diei tonitruum omnibus praefigurationibus, quae taliter investigare atque exponere dicuntur. Si enim (ut aiunt) in die Saturni tonitrua surrexerint, tonueritque, haud longe exinde aut ingentem pestilentiam humani generis esse venturam, vel validissimum bellum venturum, ipsa tonitrua designant.

